DE ELIGENDO ABBATE GENERALI CANONICORUM RR. LATERANENSIUM ORATIO AD...

Vincenzo Tizzani

DE ELIGENDO
ABBATE GENERALI CANONICORVM RR.
LATERANENSIVM

ORATIO

AD REVERENDISSIMOS ABBATES IN COMITIIS GENERALIBVS

CONGREGATOS

HABITA IN BIBLIOTHECA S. PETRI AD VINCVLA

QVINTO IDVS MAII ANNO MDCCCXXXV

A

D. VINCENTIO TIZZANI

ROMANO

C. R. L.



ROMAE

TYPIS SALVIVCCI

1838

302

IMPR. Fr. A. V. Modena S. P. A. M. S.
IMPR. A. Piatti Arch. Trapez. Vicesg.

D. PAVLO DEL SIGNORE

ROMANO

ABBATI GENERALI CANONICORVM RR. LATERANENSIVM

THEOLOGO S. CONSILII DOCTRINAE PROBANDAE PONTIFICVM DESIGNATORVM

HISTORIAE ECCLESIASTICAE IN ROMANO ARCHIGYMNASIO

DOCTORI DECVRIALI ETC. ETC.

D. VINCENTIVS TIZZANI

Quum mihi in mentem venerit, Reverendissime Pater, oratiunculam meam in lucem proferre, Tibi tantum eam inscribi oportere judicavi, Qui cum nostri Ordinis supremi Moderatoris munere, parem virtutis, et sapientiae laudem conjungis. Accedit Tua erga me peculiaris benevolentia, qua multis ab hinc annis arctissime vincior, et cujus vi, quidquid possum a Te repetendum fateor. Omne igitur meum, Tuum est. Parvum quidem offero; ast majora

etiam, si mihi essent vires, offerrem. Quodcumque itaque est, ea qua ornaris comitate, libenter accipe: neque ex munusculo donantis amorem dimetiare.

AD ABBATES

CANONICORVM RR. LATERANENSIVM

IN COMITIIS GENERALIBVS CONGREGATOS

ORATIO

Haud parvi momenti Vobis pertractanda res est, Princeps Eminentissime, Praesules amplissimi, et ad nostri Ordinis bonum, atque incolumitatem maxime pertinens, ut si in caeteris, in hoc praecipue studium omne, et solertissima cura sit adhibenda. Eligendus enim est, qui nobis auctoritate praesit suprema, qui nostra regat, gubernet, nosque ad honorem Religionis instituat. Nemo Vestrum ibit inficias AA. PP., hisce attentis rationibus, a vobis peculiari quodam modo totius Ordinis nostri felicitatem, securitatem, conservationemque pendere. Si enim virum elegeritis eum, qui opportunior his temporibus videatur, jam omnium necessitatibus consuluistis. Sed qua nam perturbatione captos Vos video? scio, non unum hujuscemodi virum haberi, et idcirco non facile praestantiorem inveniri, cum virtutibus omnibus praefulgeatis. Verum etsi plures sint, quos eximiae virtutes tanto muneri pares efficiant, si tamen fieri posset, illum eligere temporis opportunitate digniorem, summa rerum omnium esset. Vestra cura igitur in eo versari debet, ut talem hominem inter Vos dignoscatis.

Ignoscite, quaeso, si ex pristina consuetudine, nunc instaurata, Vobis demonstrem quid in Generalis Antistitis electione sit sequendum; demandato enim muneri satisfaciam oportet. Itaque Vos oro, atque obtestor per illum quo flagratis amorem in universum Ordinem nostrum, ut Vestris animis quid tanta de re dicturus sum benigne advertatis.

Atque ut statim rem aggrediar, neminem Vestrum latet Pr. Em. AA. PP. Ordinem nostrum, hac aetate, hominum improbitate, et malitia, nimio novitatis amore, ac gliscente judicandi licentia, sicut ceteri Religiosi Ordines, non ut antea florescere, immo externis nos carentes auxiliis, quotidie desilire videmur; etsi non desint qui auctoritate sua nostra tueantur. Quae cum ita sint facile quisque videt Ordinem nostrum, si anteactis etiam aetatibus, eo magis hac qua vivimus, talem requirere Antistitem, qualem res ipsa expostulat, eum scilicet qui tanto muneri idoneus maximopere dignoscatur; qui hominum improbitati, et malitiae se pro viribus opponat; qui nimium novitatis amorem forti animo comprimat; qui denique grassantem judicandi licentiam viriliter compescat. Qua enim aetate vivimus? (proh dolor!) quocumque impietatem regnum suum longe lateque protendentem videmus, vix ut agnoscatur qui majorum servet adhuc fidem! alii ambitione moventur, alii cupiditate excitantur, alii in bonos iracundia, et rabie efferuntur, et ideo virtute praestans, calumniis obrutus, honestate spectabilis, abjectione depressus, viri Religiosi qui in claustris morantur, et qui christianam fidem integram servant, hanc servandam fidelibus suadent, molestia afflicti, crudeliter vexati, paupertate pressi, et dum pacifice ex humili cella exeunt, aut illam adire quaerunt, videre, et audire coguntur quidquid indomita militum licentia vel dicere, vel excogitare potest. = Haereditas

nostra versa est ad alienos, domus nostrae ad extraneos = (1). Quae omnia nos dolentes, gementesque conspicimus. Ille igitur a Vobis totius Ordinis nostri Praesul deligatur, qui talibus instructus dotibus sit, ut pro viribus tantae malignitati, atque improbitati resistat, atque aheneo pectore impediat, quominus insidiator lupus religiosum gregem incustoditum inveniat. Quod vero non versutia, non calliditate, neque externis amicitiis, verum singulari pietate, morum candore, Instituti observantia fieri debet, ut Praesul hujusmodi, exemplo suo, omnibus vivendi regula sit, et virtutis imago. Hinc vero quot bona! Unusquisque Praesidis exemplo, quodam veluti in speculo, suam agendi rationem introspiciet; neminem pigebit consuetudinibus, et legibus inservire, cum hoc primum in Antistite videat. Nec mirum! tanta enim est hominis infirmitas, ut plerumque quidquid agit, non re bene perspecta, sed aliorum exemplo operatur. Similitudine enim, et exemplo nos maxime movemur. Hinc non plura, sed unum corpus efficitur virtutibus omnibus ornatum, tutissimum religiosae observantiae praesidium, in hostes vero tum temporalis, tum spiritualis dignitatis propugnaculum validissimum. Create Rectorem igitur, et oculos Vestros in eum intendite cui incorrupti mores, cui spectata religio, cui modestia insignis, uno verbo, cui tantummodo suae faveant virtutes, ut non tam dignitatis excellentia, non tam muneris splendore, quam exemplo praesidere possit.

Verum Noster Ordo talem requirit Antistitem, qui non solum hominum improbitati, pro viribus se opponat; sed etiam qui nimium novitatis amorem forti animo comprimat. Quot mala tum in morali, tum in civili societate ex hoc novitatis amore! Eccur Pa-

(1) Jerem. Orat. vers. 2.

trum nostrorum memoria, tam bene sapienterque res omnes progrediebantur? non alia quidem ratione, nisi quia novitate vagari minime solebant, habentes illi quid sequendum, legem inquam immutabilem, quae uniuscujusque jura tueretur. Ex quo enim majorum mos desuescere incoepit, gravibus nos undique malis pressos esse videmus. Historiam neque sacram, neque profanam, nec publicam, nec domesticam, pervolvam, Vos illa non latet, dicam tantum hoc nimio novitatis amore, antiquas destrui consuetudines, sanctissimas aboleri leges, quae servandae forent, etiamsi illis experientia tantum suffragaretur. Gratissimam cunctarum rerum novitatem esse non negamus, sed non raro, etiam quod bonum erat, evertit. Quae vero non ita accipienda sunt, quasi dicamus quamlibet novitatem esse fugiendam. Omne enim dijudicandum juxta quod, aut locorum adjuncta, aut rerum natura, aut personarum conditio, aut temporum vel dissimilitudo, vel varietas postulat. Sed dum hoc dicimus, significare volumus in omnibus ducem habendam esse prudentiam. Solertem prudentiam, et veram, simplicem Religionis alumnam, quae aliarum virtutum sit dulcissima soror. Prudentiam dico, quam inviolabilis comitetur justitia, cui fortitudo adhaereat impavida, quaeque tandem saevos demulceat animos, furentem temperet iram. Prudentiam, quae minaces hostis insidias antevertat, quae pericula potius effugiat caute, quam contra illa vel temere, vel inconsiderate congredi suscipiat. Si igitur ut vidimus, nimius novitatis amor, quem in hominum societate nunc serpentem conspicimus, exitiabilis prorsus apparet, eum, supremum nostri Ordinis Antistitem eligite, qui optime discernere possit quid accipiendum, quid fugiendum sit; rerumque humanarum moderatrice prudentia, ut omnium nostrum utilitati consulat, opportunos, et

idoneos eligat administros,non bonitate,aut sanctitate tantum commendabiles, sed et scientia, et sagacitate conspicuos. Scienti negotia committat, imperitum relinquat. Utque magis magisque nimium novitatis amorem compescat, studiose curet ne ad dignitates, ne ad Sacerdotia, ne ad Ordinis quaeque munera facilis aditus pateat, quibus merita non auxilientur. Et sane quisnam innumerabilia recensere poterit damna, quae ex eis proveniunt, qui absque virtute, absque merito, abque scientia, et doctrina ad honoris gradus evehuntur? Hi temporis progressu non tantum se ipsos perdunt, sed et domestica pessundant, immo posteritatem adigunt, ut vi malorum fracta, debilitata, oppressa, non amplius erigi queat. Hoc tamen fit, et nimio novitatis amore, et alio quidem vitio magis exitioso, quod sapiens religiosus aspernatur, et abhorret, qui vero sine molestia suis diffluere cupiditatibus pertentat, charum habet, et amplectitur. Vitium, in quo ille calamitates, et ordinis subversionem longe in posterum praenoscit, quod vero incautum, et ambitiosum hominem omnibus perlicit blanditiis, quibus inflata ignorantia, et ficta doctrina vel capi, vel deliniri solet. Loquor de nova cogitandi ratione, de inaudita ratiocinandi methodo, uno verbo, de illa effrenata judicandi licentia, qua imperantis gesta nimis curiose discutiuntur, et librantur, nec non scrupulosius quam rei conveniat, et tempori. Ex quo inferior superioris fiduciam amittit, ex quo non eum amplius debita observantia colit, et sensim qui parere tenetur, obligationibus illis revinci putat, quibus expletis sibi, et societati juvare poterat, quibus oblitteratis, et extinctis, humanae rationabilis naturae monstrum quoddam efformatur.

Incredibile dictu est quot mala in societatis perniciem evomantur ex hac immoderata judicandi licen-

tia. Memoriam praeteriti temporis repetite, cum Europam universam infortuniis, et excidiis absorptam flentes videbatis. Haec autem adversa Rei christianae publicae ideo recolo, non ut tibi, Princeps Eminentissime, (1) praeteritorum temporum dolorem videar excitare, dum cogebaris a consanguineis divelli, separari ab amicis, Pontificem (2) intueri oppressum, et in carcerem detrusum; sed ideo recolo, ut non infractam fidem tuam, animique constantiam inter tot, quibus premebaris aerumnas, commemorarem. Oh tempora ob effrenem cogitandi, et judicandi licentiam, infelicissima! alterius judex quisque constituitur; omnes in se ipsis jus rerum situm esse putant; quisque tandem in illud, quod et Societati, quod et Religioni debetur, impune debacchari non erubescit! Universa enim irrationabilium animalium ritu, ad suam referunt voluptatem. Quare irreligio, quare libera quidlibet agendi facultas, quare depravati mores libidinose luxuriantur. Quae mala, curandum est, ne in societatem etiam religiosorum erumpant, cum publicae tranquillitatis eversores ad hoc praecipue animum adjiciant, ut faciliori via eo, quo tendunt, perveniant. Create igitur Pastorem, qui incolumem conservet gregem, et vigilanter oculos intendat, ne rapax hostis eum furtim depraedetur. Create Pastorem, qui vera instructus doctrina, non tantum decantatas temporis opiniones coarguere sciat, sed, quod magis est, in subditorum animos religiosae scientiae semina infundat, ut hanc inauditam aspernentur judicandi licentiam, et velint, ut impii intelligant, se neutiquam timere pervagantem saeculi Philosophiam. Vitam hominum perturbari errore, et inscientia, nemo est qui non videat, unam-

(1) Bartholomaeus Card. Pacca Protector.
(2) Pius VII.

que esse doctrinam, qua nos a falsis opinionibus, et ab irrationabili mentis judicio vindicamur. Quod si ita se res habeat, omnibus Vobis persuasum esse judico, sapientem tantum hominem huic rapido torrenti umbratilis, ut ita dicam, Philosophiae adversari posse. Quantum ergo in Vobis est, pro nostrum bono, Antistitem supremum eligite scientia, et doctrina illustrem, et dum fertis suffragia, amplissimos Canonici Ordinis Generales Praesules in mentem revocate Trombellium, Mingarellium, Monsacratium.

Audistis quibusnam animi dotibus ornatus esse debeat, quem Vos universalem moderatorem nominare cupitis. Talis sit oportet, ut pro viribus nimis erumpentem improbitatem contineat, cum homines maxime similitudine, et imagine moveantur. = Se ipsum bonorum operum praebeat exemplo, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes, (1) et se existimet charitate serviente felicem, non potestate dominante. = Talis sit oportet, ut sagacitate, et mentis perspicuitate nimium novitatis compescat amorem, ex quo infinita propemodum mala in omnes exsiliunt; qui aut appetenda, aut fugienda discernat, juxta temporum varietatem, et dissimilitudinem, = corripiat inquietos, consoletur pusillanimes = (2). Talis denique sit oportet, ut effrenatam judicandi licentiam viriliter coerceat; licentiam, jurgiorum semen, et discordiarum originem; hocque efficiat veram docendo scientiam, quae Religioni non opponatur, quae rationi non adversetur. = Disciplinam libens habeat metuendus imponat. = (3). Atque, ut breviter me expediam, talem date nobis Rectorem, qui exemplo vitae Walfridos, Ghisilierios, Agazarios, Columnas, Maffeos imitetur; qui prudentia, et recta gu-

(1) Reg. S. Aug.
(2) Ibid.
(3) Ibid.

bernandi ratione Bavoso, Augustino de Bononia, Castaldio, Paschasio, Zanolino, et Barbadico inferior non sit; qui denique et Dolfii, et Morandi, et Bagnii, Zanchii, et Flammae (1) aliorumque scientiam et doctrinam aemuletur. Agite ergo, o Patres, et Ordinis bono consulentes, eligite Pastorem, qui sanctitate, prudentia, et doctrina ceteros antecellat.

(1) Inter tot sanctitate, et doctrina praestantissimos utriusque Congregationis Lateranensis, et Rhenanae homines, celebriores hic tantum recensentur, qui supremi Moderatoris munere functi sunt.